



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA HASSELETENSIS* IN DIOECESI

HASSELETENSI, RECENS CONDITA,

CANONICORUM COLLEGIUM CONSTITUITUR. Quoniam Deus, tametsi nullis finibus circumscribi, nullis spatiis includi potest, iussit tamen et tabernaculum primum, et templum sanctissimum postea exaedificari, cuius limen cuncto Dei populo Numen adoraturum pateret, idcirco sollemne semper habuit sancta Christi Ecclesia atque haec beatissimi Petri Sedes, Ecclesiarum omnium provida parens, ut non solum templa excitarentur in summi creatoris honorem quam pulcherrima et magnificentissima, verum etiam ut coetibus virorum instruerentur, quorum proprium esset sacrarum caerimoniarum splendorem pietate, prece, obsecratione curare. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Iosephus Heuschen, Episcopus Hasseletensis, preces adhibuerit huic apostolicae Sedi ut eiusmodi Canoniorum collegium in sua dioecesi conderetur, Nos quae Sacra Congregatio Consistorialis censuisset, cui hanc facultatem dedimus, audito quidem venerabili fratre Sylvio Oddi, Archiepiscopo titulo Mesembriano atque in Belgio Apostolico Nuntio, rata habemus atque confirmamus, haec statuentes. In dioecesi Hasseletensi Canoniorum collegium constituimus, quod una constabit Dignitate, nempe Decanatu, atque certo Canoniorum numero, iuxta praebendarum numerum. Dignitatis et Canonicatum collatio ab Episcopo Hasseletensi fiet ad normam iuris, quorum praebendae dote auctoritate civili data efficientur. Ad preces chorales quod attinet, eae ita fundentur, ut cotidie Corae Canonicae recitentur atque Missa cum cantu celebretur conventualis. Concedimus autem ut Canonici, tamen intra fines suae dioecesis mozetam adhibeant cum cappa minore, violacei coloris, supra rochetum induendam, cuius coloris et serici erunt etiam globuli, ocelli et subsutum; insuper nigrum biretum. Indulgemus item ut iidem crucem gestent, media in adversa parte imaginem B. Mariae Virginis referentem, e taenia serica, filis argenteis flavisque ex auro nexis duplicata, pendentem. Ad cetera vero quae Canoniorum sunt propria, leges iuris communis ad amussim serventur, donec recognoscantur. Leges praeterea, seu Constitutiones Capitulares cito condantur, eaeque, postquam Episcopus probaverit, religiose observentur. Ceterum haec quae mandavimus, venerabilis Frater Sylvius Oddi ad exitum deducat, vel quem ipse delegaverit; re vero acta, documenta exarentur atque dignae fidei exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius

Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die duo de vicesimo mensis Novembris, anno millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quinto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA <i>S. R. E. Cancellarius</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consist. Pro-Praefectus</i>
--	--

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

Eugenius Svevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LX (1968), n. 5, pp. 241-242 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana